



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

De actu materialiter malo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

De peccato dimisso.

Certum etiam est, peccatum dimissum posse esse obiectum penitentiae, quod possit retractare, nam condonatio illius non tollit, quod ego possim velle non fecisse illud peccatum, ne offenderem Deum; sicut etiam post vulneris, vel morbi curationem possum dolere de causa, quam dedi vulneri, vel morbo contrahendo. Dubium tamen est, an possit penitentia velle compensare, & satisfacere pro peccato iam dimisso: Et quidem, si remissio peccati ignoretur, vel sit dubia; certum est, posse velle satisfacere pro illo: posse item velle satisfacere sub conditione, si dimissum non sit: Difficultas est, an qui est omnino certus de remissione peccati, possit adhuc velle pro illo vltius satisfacere: videtur enim non posse, quia ubi non est debitum, non potest esse satisfactio; ergo si peccatum est omnino condonatum & debitum extinctum, non potest penitentia velle satisfactionem absolutam pro illo. Adhuc tamen dicendum videtur, posse virtutem penitentiae elicere actum circa peccatum dimissum, non solum retractando, & detestando illud, (quod fortasse sufficeret, ut illud posset esse materia sacramenti Penitentiae) sed etiam quo velit satisfacere, & compensare pro illo: ut ex alio titulo extinguatur. Hoc enim videtur commune aliis virtutibus, ut possint suo debito satisfacere, vel adaequatè, vel abundanter: v.g. gratitudo potest velle retributionem maiorem, quam exigeret beneficium acceptum; item obedientia potest velle audire duo Sacra, ut satisfaciatur abundantius precepto audiendi Sacrum: iustitia item potest velle tribuere infamato honorem, plusquam exigeretur ad tollendam infamiam. Aliud enim est ad quid virtus obliget, & quod est necessarium ad intentum illius: aliud verò, ad quid perfectio illius virtutis moueat. Obligat quidem iustitia; v.g. ad retributionem honoris aequalis cum infamia illata; mouet verò perfectio iustitiae ad maiorem honorem retribuendum: sicut Zachæus, qui si quemquam in aliquo defraudauerat, reddebat quadruplum: ita penitentia non obligat; nisi ad extinguendum adaequatè debitum peccati, atque ideo extincto debito per condonationem, cessat obligatio compensandi: at verò potest perfectio penitentiae mouere adhuc ad satisfactionem abundantiorē exhibendam. Quare quoad hoc differt ille qui non peccauit, ab eo, qui peccauit, licet peccatum sit iam omnino ablatum: nam ille primus non potest penitere, ob defectum obiecti penitentiae: hic verò secundus, licet iam non habeat debitum obligans, habet tamen titulum pro quo possit abundantius, & perfectius satisfacere: sicut etiam Christus pro nostris peccatis satisfecit abundantius, quam necessitas exigeret.

De actu materialiter malo.

Potest etiam dubitari, an virtus Penitentiae odio habeat peccata, non solum, quando sunt cum aduertentia, & ideo sunt verè peccata, sed etiam quando ex ignorantia, vel inaduertentia excusantur, & non sunt peccata formaliter, sed solum materialiter. Verbi gratia irreuerentiam Deo factam sine aduertentia, vel blasphemiam, aut perurium sine attentione sufficienti ad culpam? Videtur enim hæc etiam pertinere posse ad obiectum penitentiae. Nam alie virtutes non solum habent odio obiecta opposita, quando cum aduertentia admittuntur, sed omni prorsus modo, v.g. iustitia odio habet nocumentum proximi, quomodo locumque fiat: temperantia odit ebrieta-

tem etiam casualem, & sic de aliis. Ratio autem est, quia eiusmodi obiecta non ideo sunt mala, quia prohibita; sed potius è contra ideo prohibita, quia mala; ergo antecedenter ad attentionem quā quis attendit ad eorum malitiam, iam in ipso obiecto inuenitur malitia obiectiua, quæ possit terminare odium virtutis oppositæ. Quamuis ergo non inueniatur culpa sine aduertentia; inuenitur tamen illa malitia obiectiua, ad quam si aduerteret homo, contraheret malitiam formalem, & culpam, & illa malitia obiectiua est, quam odio habet temperantia, v.g. scilicet, indecentia ebrietatis cum natura rationali præcindendo ab aduertentia, vel inaduertentia, ergo penitentia etiam poterit odio habere, & detestari eos actus propter rationem communem offensæ materialis Dei.

Nihilominus, quidquid sit de aliis virtutibus, dicendum est, eiusmodi actus non pertinere immediate ad obiectum penitentiae: quia seclusa aduertentia necessaria ad culpam, non manet ratio offensæ diuinæ, quam penitentia detestatur: & hoc est discrimen penitentiae ab aliis virtutibus supra adductis, quod illæ præcindendo ab aduertentia, vel inaduertentia, habent in obiectis contrariis malitiam formalem, quam odio habeant: v.g. temperantia inuenit in ebrietate præcindendo ab aduertentia, malitiam indecentiæ cum natura rationali, quam malitiā odit temperantia, & sic de aliis: at verò penitentia est virtus quasi reflexa, quæ odit malitiam, & indecentiam offensæ diuinæ: offensæ autem nullo modo potest præcindere ab aduertentia: ideo seclusa aduertentia, non restat ibi in eo actus malus illud, quod formaliter detestatur penitentia. Sicut si poneretur aliqua virtus, cuius proprium munus esset, prohibere ne homo operetur contra conscientiam: sanè hæc virtus nulum actum posset detestari, nisi enim, qui fieret cum aduertentia, alioquin enim non fuisset contra conscientiam, & per consequens non caderet sub obiecto illius virtutis: sic se habet penitentia, quæ cum solum habeat odio offensam Dei, non potest odisse actum indeliberatum, quia ille non est offensæ Dei.

Adde, si cum debita proportionem loquamur, eandem rationem inueniri, quod ad hoc attinet, in penitentia, & in aliis virtutibus: Nam sicut iustitia v.g. odio habet nocumentum proximi, præcindendo ab aduertentia, vel inaduertentia ad malitiam iniuriæ; sic penitentia odio habet offensam Dei præcindendo ab aduertentia, vel inaduertentia ad rationem offensæ: requiritur sanè ad hoc ut detur offensæ Dei, quod peccator aduertat ad aliquam malitiam obiectiua: alioquin non peccaret: Ceterum, licet non aduertat, illo peccato offendi Deum: potest intervenire offensæ Dei, & peccatum saltem veniale, ut supra diximus; & hanc offensam etiam factam sine aduertentia ad malitiam offensæ potest detestari postea Penitentia, sicut iustitia potest detestari iniuriam proximi factam sine aduertentia ac malitiam iniuriæ, & ita quoad hoc pares sunt; differunt tamen, quia iniuria illa materialis potest esse obiectum iustitiæ, etiam præcindendo ab omni aduertentia ad aliquam malitiam; offensæ verò non potest esse obiectum penitentiae, nisi fiat cum aduertentia ad aliquam malitiam, quia aliter nullo modo erit offensæ Dei, ut dictum est.

Imò si res attentè consideretur, adhuc penitentia intra proprium obiectum sistens est similior cæteris virtutibus quoad hoc; quia cum penitentia procuraret reparare pacem, & placare Deum propter bonum pacis; hinc est, quod penitentia possit odio habere negligentiam in procuranda hac Dei placatione & reconciliatione, etiam si ex inaduertentia, & obliuione, ac inculpabilitate contin-

gar, hominem non curare de placando Deo, & de satisfactione pro peccato: quia nimirum malum, quod pœnitentia invenit in indignatione Dei, idem etiam perseverat, quamvis homo invincibiliter obliviscatur, vel ignoret, se esse in peccato habituali. Unde formaliter loquendo pœnitentia convenit aliis virtutibus quoad hoc, quod est habere odio malum inimicitiae diuinæ quomodocumque illa contingat; licet differat quasi materialiter in eo, quod offensæ diuinæ non potest in primo fieri esse sine aliqua hominis advertentia ad aliquam malitiam obiecti.

20. Dixi tamen, actum illum materialem peritiorij, v.g. sine culpa patratum non pertinere immediate ad obiectum pœnitentiæ: non enim nego, pertinere posse quasi immediate: nam illi actus etiam ex inadvertentia facti generant habitum, & disponunt, ut facilius similes actus postea etiam cum aliqua advertentia fiant, quibus Deus offendatur: quare sub hac ratione possunt à pœnitentia odio haberi, non quidem quatenus Deum offendunt, sed quatenus disponunt saltem remotè ad Dei offensam.

21. Hinc infero, actus externos malos, sicut non sunt intrinsecè, sed extrinsecè mali malitiâ formali moralis, & peccaminosi, quatenus denominantur à voluntate mala à qua procedunt, sic pœnitentiam illos detestari extrinsecè, & denominatiuè: non enim doleo, quod posita voluntate interna sequutus fuerit necessariò actus externus; hoc enim non turbavit pacem cum Deo; sed doleo, quod positis fuerit ille actus dependenter à voluntate interna mala, quæ formaliter fuit, quæ turbavit pacem cum Deo; & ideo ratione illius habentur odio actus externi.

SECTIO II.

De peccatis alienis, & de reatu pœnitentiæ, an sint obiectum pœnitentiæ?

22. Maior est difficultas de peccatis alienis, an possimus ea ex pœnitentia detestari, quatenus Deum offendunt: non quærimus an possimus ea retractare? Certum enim est; non posse cadere sub nostram retractionem id, quod à nobis factum non est, ut supra dixi; sed quæritur est, an ex virtute pœnitentiæ possimus de eis dolere, ea odio habere, & procurare ne fiant: Pro utraque parte est difficultas, nam aliæ virtutes non solum videntur inclinare ad desideratam honestatem sui obiecti illi subiecto, cui insunt; sed etiam aliis. Sic enim docet experientia, castum desiderare castitatem in aliis, sobrium sobrietatem, iustum iustitiam, & sic de cæteris: ergo pœnitens non solum vult non offendere Deum, sed etiâ, ne Deus ab aliis offendatur: nam turpitudine offensæ, quam odio habet, eadem est in aliis, ac in se. Ideo P. Suarez in præfati disp. 1. sect. 1. n. 9. quæ sequitur P. Cornieus in præfati disp. 1. dub. 3. extendunt habitum pœnitentiæ ad peccata aliena, non tamen sub denominatione pœnitentiæ; ut sic enim dicit actus retractionis, quæ solum potest esse de peccatis propriis.

23. Pro contraria verò parte esse videtur communis Theologorum sensus cum S. Th. in 4. d. 17. q. 1. art. 2. qui dicunt, pœnitentiâ debere esse de peccatis propriis: quis enim dicat, esse humile, qui vult alios esse humiles, aut esse abstinentem, qui vult alios ieiunare: alioquin Deus diceretur humilis, & pœnitens, quia vult nos esse humiles, & pœnitentes, & Angeli etiam essent abstinentes, quia volunt nos abstinentes: ergo pœnitens non est qui vult alios satisfacere pro suis offensis, sed qui satisfacit pro propriis,

Vides difficultatem utriusque partis: quæ meo iudicio probat, in utraque esse aliquid veripro cuius explicatione nota, posse nos loqui vel de habitu acquisito pœnitentiæ, vel de infuso si sermo sit de habitu acquisito; ego existimo, illum partialiter deservire ad odium peccati alieni; non tamen totaliter: quod ut explicem, suppono, illum habitum esse dissimilem, nam facilitas illa, & propensio, quam experimur exercitio actuum comparati ad amplectendum illud obiectum, nihil aliud est in mea sententia, quam species benè coordinatæ, & dispositæ cum intentione, & vivacitate eorum obiectorum, apteque, ut facilius, & fortasse cum melioribus, & pluribus motibus, quam antea proponatur nobis illud obiectum, & excitetur simplex affectus necessarius erga illud, ut cum S. Thoma, & aliis docui latè in libro de anima; & explicabimus ex professo suo loco in 1.1.

Quo supposito facile explicatur, quomodo conducat habitus pœnitentiæ ad odium peccati alieni: nam odium peccati proprii nascitur in nobis ex duplici affectu; alter est amoris erga nosmetipsos, alter est odij circa offensam Dei propter eius turpitudinem: ideo enim habeo odium offensæ Dei, quia amo memetipsum, cui mala est offensæ Dei, & ideo nolo mihi illud malum. Hi duo affectus oriuntur in nobis ex duplici etiam cognitione proportionata; & quidem quâ facilitate habeo odium peccati mei, habeo etiam odium peccati alieni: si habuero similem affectum amoris erga illam aliam personam, sicut habeo erga me. Hinc ergo fit, ut qui odit peccatum proprium facile etiam oderit peccatum alterius, quia affectus odij erga peccati turpitudinem pariter movet ad odium peccati alieni, cum habeat eandem turpitudinem. Cæterum aliquando continget, non ita facile odisse peccatum alienum, quia nimirum deest ille alter affectus amoris erga personam extraneam: & ideo dixi, principia, quæ movent ad odium peccati proprii, movere partialiter, sed non adæquatè ad odium peccati alieni, quia solum movet ex ea parte, quâ includunt affectum odij erga turpitudinem offensæ, sed non ex ea parte, quâ includunt affectum amoris erga memetipsum: parum enim conducit amor mei ad odium peccati alieni. Quod idem invenies in cæteris virtutibus; nam castitas quâ parte includit amorem erga bonum castitatis, conducit ad volendum illud bonum aliis: non verò quâ parte includit affectum amoris erga me, cui volo illud bonum; sed huius loco debet subrogari alter affectus amoris erga alium, quo posito, qui vult sibi bonum castitatis, vult etiam amico, sed non ex eodè principio adæquatè. Hinc etiam regulariter fit illa bona nos velle amicis quæ volumus nobis; quia, scilicet, æstimatio & affectus erga illud bonum movet nos, supposito affectu ergo amicum; ut illud etiam velimus amico: Item hinc est, posse aliquem esse castum in se, & tamen nolle castitatem suo inimico, sed potius luxuriam, quia scilicet deficit ille alius affectus amoris erga personam. Denique hinc est, aliquando è contra facilius nos velle hæc bona virtutum aliis, quam nobis, quia scilicet temperantia aliena non sese offert nobis difficilis, sicut sese offert temperantia propria, & cum aliunde habemus affectum erga bonum temperantiæ, facile volumus eam in aliis, quibus naturali, & communi affectu volumus bonum.

Hæc doctrinâ suppositâ, facile respondeo ad præsens dubium, habitum acquisitum pœnitentiæ, seu principia illa, quæ nos movent ad odium peccati, partialiter, & maiori ex parte movere etiam ad odium peccati alieni, quia principaliter oritur illud odium ex æstimatione offensæ, & affectu simplici contra eius turpitudinem abstractè sumptam: non tamen